



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1652. usque ad annum 1662

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1779

VD18 90119185

§. 34. Pax Pyrenæa Gallos inter & Hispanos.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67372)

Sæc. XVII. ac Cismeæ, urbibus incensis, & arce
 A. C. 1659. rubra feliciter subacta præstitit, non
 sine ingenti damno ac dedecore Tur-
 carum.

§. XXXIV.

Pax Pyrenæa Gallos inter & Hispanos.

*Priorat.
 Tratt. della
 pace & Hist.
 di Leopold.
 lib. 5.
 Hode vie de
 Louis XIV.*

Jam per viginti omnino annos Hispaniam inter & Franciam atrox ve-
 rebat bellum, non sine magno Clu-
 stianæ Reipublicæ damno, & majori
 Acatholicorum triumpho atque inco-
 mento, a Richelio incæptum, a Maza-
 rino continuatum, & denique ab Alexan-
 dro VII. Romano Pontifice terminatum.
 Tandem vero Alexandro VII. Papa, necnon Moguntino & Colonia
 Electoribus omnem operam ac sollicitu-
 tudinem impendentibus exoptata
 tandem ab Europæ finibus exul revo-
 cata est. Nam prior Pigmentellus
 Hispani Regis Legatus, qui eo tempore
 Lugdunum ad Franciæ Regem contu-
 derat, pacem proposuit, & primo quæ-
 dem ineunte Mensè Maio semestres de-
 cernebantur belli induciæ, vicinæ paci
 auguria: habentur quoque Parisiis pro-
 vata inter Julium Mazarinum Cardina-
 lem & Antonium Pigmentellum collo-
 quia, in quibus de Alphonso Matis-
 nensi Duce in Hispani, & Condæ-
 Pri-

Principe in Galli Regis gratiam reci- Sæc. XVII.
piendo, necnon de reddendis urbibus A. C. 1659.
utrinque captis agebatur, tandemque
veluti pacis vinculum, pignusque erat
matrimonium inter Ludovicum XIV.
Franciæ Regem, & Mariam Theresiam
Philippi IV. Hispani Regis Filiam. Pla-
cuit præprimis, ut Mazarinus nomine
Franciæ, & Ludovicus de Haro Hi-
spaniæ Regum Legati ad Emporium
S. Joannis de Lucio convenirent, de
congressus loco, necnon pacis articu-
los exequendi modo deliberaturi. Ma-
zarinus igitur die vigesima quarta Junii
Parisiis profectus, die vigesima octava
Julii ad congressus locum advenit, ubi
ex utriusque partis consensu ad Montes
Pyrenæos selecta est Insula Phasiana
in Vidossa flumine, quam olim ad duel-
lum contra Franciscum I. Carolus V.
Imperator designaverat: Habebantur
viginti quatuor Sessiones, in quibus
præter alia præcipue die septima No-
vembris perpetua utrinque pax, ex-
clusa Lusitania, nisi ad Hispanos redie-
rit, conclusa, sponsalia inter Regem
& Hispaniæ Infantem contracta, dos
stabilita, urbes aliæ redditæ, aliæ re-
tentæ, Condæus facta deprecatione a
Gallo in gratiam receptus, sicut & Al- Calmet Hist.
de Lorr.
t. 2. p. 562.
phonus Mutinensis, ea lege, ut prior
milites suos sacramento solvat, alter
vero

Sæc. XVII. vero Hispano Corregium restituit. In
 A. C. 1659. super Carolus Lotharingæ Dux e cap-
 tivitate dimissus, inque suum Ducatum restitutus est, Nancæi tamen munimenta diruere, & ultro jureque Caromontanum, & Barrensem Ducatum, aliasque quatuor urbes Gallo-
 fuisse, publicis literis profiteri jubetur. Attamen Dux adversus hunc articulum per suum Legatum Claud. de Mangin publice, incassum licet clamabat: Sancitum præterea, ut regeretur summus Pontifex, quatenus controversiæ circa Valles Comacien. Castrum & Rossilionem componantur, & Moncæi Principi sua bona in Ducatu Mediolanensi & Neapolis Regno restituantur, denique ne ignis sub cineribus latens in Valle Telina necnon inter Helvetos Catholicos & Protestantes rursus erumpat, decretum est, ut concordia per utriusque Regis studium reddatur.

§. XXXV.

Civiles tumultus in Anglia.

Rapin
Thoir. Hist.
d' Angl. l. 22.
Priorat. vit.
Leopold.
l. 1. l. 5.

Mortuo Cronwello nequaquam civilium tumultuum in Anglia finis erat; quamvis enim Richardus tertius Filius a Parliamentis, militibus, Anabaptistis, Presbyterianis, & præcipue a Cromwello